



Ms. 59.3.





ILL. DVM. CASIMIR. ACAD.  
DIRECTOR ET PROFESSOR  
CIVILIS ET  
2. A. DO.

COMMENTATIONIS

DE

ARBORE FRUCTIFERA NON  
EXCIDENDA

AD DEUTERON. CAP. XX. COM. XVIII.

PARTICVLA PRIOR.

COBURGI

EX OFFICINA FINDEISENIANA.

*J.*





ILL. GYMN. CASIMIR. ACAD.  
DIRECTOR ET PROFESSORES

RELIQVI  
CIVIBVS SVIS

S. P. DD.



§. I.

IO. PETRVM CAMVM, Episcopum Bellicensem in Gallia, superiori saeculo non incelebrem, duo in primis admirari consueuissent ferunt: alterum, quod Catholici Scripturam S. valde obscuram iudicantes tam parum operae in ea illustranda ponant; alterum, quod Protestantes, cum perspicuitatem eius praedicent identidem et defendant, integros tamen libros componere non desistant, quibus lucem illi affundere laborent. In quo quidem iudicio non negamus primum illud verum esse, Pontificios de tollenda, quam vbiq; crepant, sacri codicis obscuritate non admodum sollicitos esse, cuius rei causam non errabimus fortasse si hanc praecipuam esse credimus, quod plerique praec traditionibus suis scripta diuina parui habent, adeoque paucissimi ea instructi sunt facultate, vt, quod laudem aliquam mereatur, in interpretatione praestare possint. Quod vero ad Protestantium nimium, vt CAMO videtur, librorum sacrorum interpretandorum studium attinet; sane meminisse debebat admirator argutulus, non omnia in Scriptura S. clara et perspicua a nobis iudicari; qui enim fieri posset, vt liber tam antiquus, tamque remotis ab his, quas nos incolimus terris, adde eo etiam idiomate scriptus, quod diu iam in vsu et consuetudine versari desit, vt is liber inquam non multa contineat a nostris sensibus et intelligendi modo abhorrentia adeoque nobis abscondita? Itaque non vbiuis in Scriptura S. sed iis praecipue in locis lucem nostri vident



❁ ❁ ❁

dent, quibus quae ad felicitatem aeternam consequendam cognitu necessaria sunt, traduntur; propterea quod credibile haud esse existimant, benignissimum numen id, in quo omnis hominum salus vertitur, non, quoad fieri potuit, planissime docere voluisse; in ceteris vero obscura non pauca et intellectu difficilia esse non inuiti concedunt. Quare semper habebunt, in quo suam industriam vtiliter exercere possint; quod si perite faciant et intelligenter, profecto non sunt reprehendendi, sed praecipuam potius laudem merentur; sin autem, studii saltem honesti excusationem habent. quanquam optandum est, vt in explicando libro, qui sanctissimus merito nobis esse debet, nihil proferatur vnquam, quod diuinis eius sensibus minus dignum esse videatur, vtque, quod huius consequens est, non nisi bene parati ad difficilem interpretandi laborem accedant, quotquot illum suscipere adgrediuntur.

§. II.

Nos in praesenti, bona lectorum venia, ex eo Mosis, diuini Iudaeorum legislatoris, capite, quo inter scriptores τακτικῶς i. e. instruendae aciei peritos, referri quodammodo meruit, quoque nomine iam a CLEMENTE ALEXAND. a) est laudatus, particulam aliquam seligemus, et nonnulla in eam commentabimur, si forte efficere possimus, vt loco, in quo omnes fere interpretes adhuc laborarunt, obscuritatis aliquid detractum esse intelligatur. Itaque Mosis Deuter. XX, 19. haec praecipit: *Si quam urbem longo tempore obsidebis, vt oppugnes eam et capias, eius arbores admota securi noli corrumpere; nam vesci earum fructibus poteris, hinc ne illas succide.* כִּי הָאָדָם עֵץ הַשֵּׁרֶה לֵבָא מִפְּנֵיךָ כַּמְצוֹר Arbores autem, quas minus fructiferas esse noueris, eas corrumpas et excidas licet, vt aduersus urbem, quae bellum tecum geret, machinas ex iis construas, donec eam subegeris. In quo quidem sermone plana sunt omnia et intellectu facillima, praec.

a) Stromat. Lib. I. p. 346. ed. Syll.






praeter verba ista, quae hebraice descripsimus, ex iisque priora potissimum: **כי האדם עץ השדה** a quorum quippe interpretatione sequentia pendent. Antequam autem nostram de vera horum verborum sententia mentem explicemus, potiora interpretum cogitata breuiter strictimque afferemus, quorum duae classes commode constitui posse videntur; alii enim iique plures causam hoc effato contineri arbitrantur, cur arbores fructuosae non sint deiciendae; alii alio illud consilio prolatum existimant.

### §. III.

Ac priores quidem sine dubio, si de re generatim iudicemus, posterioribus propius a veritate absunt, propterea quod vulgarem particulae **כי** significationem sequuntur, et res ipsa causam hic indicari non obscure ostendit. Sed qui vniuersè de consilio verborum vna consentiunt, in eorum explicatione multum inter se discrepare deprehendunt. Alii enim hanc illis sententiam subiiciunt, vt Moses dicere voluerit, *arbores non esse homines, neque militum vim habere, vt intra urbem se recipientes pugnare contra Isrâelitas valerent, nec adeo esse, quod in eas tanquam hostes irruant easque succindendo disperdere conentur.* Hunc sensum Alexandrini expresserunt hebraica ita vertentes: *μη ἀνθρώπος τὸ ξύλον τὸ ἐν τῷ ἀγρῷ, εἰσελθεῖν ἀπὸ προσώπου σου εἰς τὸν χάραν.* *anne homo est arbor agri etc.* quam interrogationem Vulgatus interpres negatione declarauit: *Lignum est, et non homo, nec potest bellantium contra te numerum augere.* quibus verbis idem quod Alexandrinus dicit, nisi quod puritatem sermonis, quam saepe alias negligit, hic conferuaturus vltimam sententiae partem liberius circumscribat. Literae pressius quoad hanc partem inhaeret **ὄνκελος**: **אין לא-כאנשא אילן הקלא למעל מן-קדמך בצירא** *quoniam non est sicut homo arbor agri, vt veniat antete in obsidionem, b) cum quo Syrus etiam et Arabs conueniunt. Sine dubio antiquissima omnium*

b) In Bibliis polyglottis **מן קדמך** minus recte per *contra te* conuersum est. Sensus, quem Chaldaeus spectauit, hic est: arbores se non coram obf-





omnium haec est interpretatio, unde factum esse videtur, ut  
 quam plurimos ex recentioribus approbatores inuenerit, veluti  
 LUTHERVM, CASTELLIONEM, DRVSIVM, GROTIVM, CLERI-  
 CVM, qui vix alium loci sensum est posse opinatur, alios. No-  
 bis vero ita improbabilis esse videtur, ut maximopere mirari in  
 mentem veniat, qui tantorum virorum iudicio ornari potuerit.  
 Primum enim, quantum perspicere possumus, non bene cum ra-  
 tionibus grammaticis consentit. Nam ut is, quem diximus, sen-  
 sus ex verbis nostris exprimat, vel ה in vocabulo האדם pro  
 interrogatio est accipiendum, vel negandi particula לא infe-  
 renda, quorum vtrum statuas, in difficultatem aliquam incurres.  
 Ac prius quidem, quod Alexandrinis placuit, Hebraeorum con-  
 suetudini, si recte meminimus, obest, qui interrogandi nota sen-  
 tentiam exordiri, non autem particulam illi, vth. ל. praemittere  
 solent; accedit, quod potius subiecto עץ השרה quam attributo  
 אדם apponenda fuisset. Alterum, quod *Drusius* defendit, coa-  
 ctum nimis est; ut enim ellipseos genus illud, quo negatio ex  
 membro praecedenti repetenda interdum venit, non inusitatum  
 esse facile concedamus; tamen in oratione continua et sententi-  
 is arctius copulatis hoc tantummodo obtinet. c) Sed si conci-  
 liari etiam haec interpretatio cum vsu loquendi vtcunq[ue]  
 quiret: res ipsa tamen ferre eam neutiquam posset. Etenim  
 quis non videt frigidam nimis et ieiunam, cur arbores fructife-  
 rae non excidendae sint, hanc rationem esse, quia arbores illae  
 non sint homines, adeoque Istraclitis urbem obsessuris resistere  
 non valeant? At nonne idem etiam de arboribus infructuosis  
 dici debet? nam nec haec homines sunt hostiliter se gerentes,

) 3

quas

obsessoribus, seu spectantibus iis, in urbem obsessam conicere posse contra  
 eos pugnaturas; צירה *obsidio* metonymice hic urbem notat obsidione cin-  
 ctam. Ita Syrus etiam intellexit: דנערוק מן קרמך באולצנא  
 ut fugiat a conspectu tuo in urbem obsessam, vbi verio latina iterum est  
 emendanda, quae vltimum vocabulum male reddidit: *impedente angu-  
 stia.*

c) Exempla vide apud GLASSIVM in *Philol. S.* col. 1223. quae si cum no-  
 stro loco comparabis, multum differre senties.





quas tamen Moses succidi et corrumpi diserte permittit. Merito igitur aspernanda haec nobis explicatio videtur, cum sensum fundat et a re ipsa alienum, et Mose legislatore sapientissimo indignum.

Qua eadem de causa nec IOH. HENR. MATI *d*) coniecturam probare possumus, qui verba: *כי האדם עץ השדה* parenthesi inclusa hanc vim habere existimat, vt misericordia erga res inanimatas etiam vtendum, adeoque arboribus ferendis fructibus aptis parcendum esse suadeant, propterea quod *homo ipse nihil aliud sit, quam arbor agri, cuius vita aequae ex numinis potestate pendeat, ac deiectio arboris ad libitum hominis peragatur.* Quae quam longe sint petita, quamque nihil prorsus faciant ad cognoscendum, cur arbor felix minus caedenda sit, quam infelix, quod tamen in primis hic attendendum erat, ita est in promptu, vt multis ostendi nihil opus sit.

R. ABEN ESRAE, cum quo GLASSIVS *e*) sentit, verba: *nam homo est arbor agri*, idem valent ac *victus hominis seu vitae eius sustentandae subsidium est arbor agri.* Quae expositio quanquam idoneam causam rei a Mose prohibitaee affert, adeoque isto, quod in superioribus obseruauimus, incommodo caret: tamen ex verbis prototypi non bene elici potest, quippe cum vsui loquendi repugnet, vt *האדם* idem ac *היי האדם* *homo* idem ac *vita* seu *victus* hominis significet. quis quaeso haec et similia dicendi genera ferenda existimet: *homo est panis, homo est caro, pro cibis hominis est panis, caro?*

Sunt denique, qui in obseruatione grammatica, qua *ה* *articuli* Vocatiuum interdum indicare praecipitur, difficilis huius loci explicandi praesidium sibi inuenisse videntur, sensum eius ita decla-

*d*) In Obseruat. Sacris P. I. p. 179. 199.

*e*) l. c. col. 683. qui tamen et Iunii explanationem infra a nobis examinandam non improbat.



declarantes: *Nam o homo! arbores agri, seu siluestres adsunt, quibus ad obsidionem uti possis, machinas ex iis construendo, hincque non est, quod fructuosas ad usum huncce adhibeas.* Quo in numero interpretum ex recentioribus ZELTNERVS f) et TELLERVVS g) nominandi veniunt. Fortassis in has cogitationes non incidissent viri docti, si quid melius occurrisset, per se enim nihil habent, quo se commendent. Atque ה quidem interdum exclamandi vim habere certum est, sed, ut quisque per se intelligit, non nisi in oratione concitata et affectu plena, cuius hic nullum plane indicium est. Deinde frustra sumitur, עץ השרה arbores siluestres denotare, et a fructuosis paullo ante commemoratis distinguendas esse; vide mihi in contrariam partem ista loca: *Lev. XXVI, 4: ועץ השרה יתן פריו Ezech. XXXIII, 27: ונתן עץ השרה פריו* Denique cuius contextum inspicienti patet, quod his verbis Mosen dicere voluisse laudati viri arbitrantur, id demum versu proxime sequenti plane et perspicue ab eo praecipitur; ut hinc otiosa vnius eiusdemque rei repetitio assumenda esset.

\* \* \*

Hic tantisper subsistemus, dum prosequendi ea, quae incipimus, proxime occasio erit. Nunc autem ad vos venimus, Cives carissimi, vobisque indicamus, Commilitonem vestrum lectissimum

PHILIP. ANTON. FRID. MARTINI,

COBURGENSEM,

hodie post sacra vespertina orationem latinam *de prudentia litterarum cultoribus maximopere commendanda, sed vulgo neglecta*, recitaturum, eaque simul vos valere iussurum esse. Is enim ut ingenium a natura nactus est ad quaeuis litterarum genera aptissimum;

f) in *Annotationibus bibl.* ad h. l.

g) in *Annotat.* 953. ad *Bibl. germ.* cum commentariis *Angl.* a se edi coepta.





simum; ita etiam in excolendis tum humanioribus, tum seuerioribus disciplinis eam adhuc operam posuit, vt cum laude ad ampliores Academias se conferre possit. Itaque speramus, non vos solum ad eum audiendum frequentes conuenturos, sed Patronorum et Fautorum Casimiriani honorificam praesentiam non defuturam esse.

Instat praeterea tempus, quo doctrinae, quae semestri elapso cepistis, incrementorum specimina a Vobis, Ciues, requiri mos et institutum maiorum postulat. Itaque *examine viriusque coetus* Gymnasii nostri dicati sunt dd. III et IV. m. Octobris. *Orationem censoriam* Mercurii, qui sequitur, die audietis. Iouis denique et Veneris dd. more consueto *Schola Senatoria* Iustrabitur. Agite igitur hac, quae vobis datur, ostendendae solertiae occasione ita vtimini, vt nostram adhuc operam recte apud vos positam esse demonstratis. P. P. d. II. Octobris, A. C.

CLXIII





Fd 2087

ULB Halle

004 222 318

3



sb.


10











25

COMMENTATIONIS  
DE  
ARBORE FRUCTIFERA NON  
EXCIDENDA

AD DEUTERON. CAP. XX. COM. XVIII.  
PARTICVLA PRIOR.

COBURGI  
EX OFFICINA FINDEISENIANA

*J. J.*

